

*Reinkingk. de Regim. secular. quorum tamen argumenta, si
fatis ad lydium revocaveris lapidem, sua sponte corruunt.*

Thef. 6.

Aristocratiam extruere Bodinus fatagit in quatuor
potissimum fundatus ratiocinijs. Primum desumit
ex Schleidan. de Stat. religion. lib. I. ubi Elector Moguntinus,
qui, cum in Electione Imperatoris Franciscum Galliae Re-
gem rejiceret, votoque suo Carolum V. juvaret, hæc re-
gessit; *Animi fortitudinem ei tribuunt, sed ad Monarchiam
illa spectat, nobis autem imprimis est Aristocratia retinenda;*
è quibus verbis ultimis immaturum sibi triumphum con-
festim pollicetur Bodinus. Verum meminisse debet, di-
ctum Imperium nostrum à Moguntino Aristocraticum
fuisse non in consideratione status, sed administrationis
qua de distinctione egimus supra.

Thef. 7.

Secundum ejus argumentum ita fluit. Quicumque
tenetur LL. Imperij ille non habet majestatem, ac proinde
non potest dici Monarcha; Imperator noster tenetur LL.
Imperij, cum ad ea vel jurejurando se obligare habeat.
E. Totum ferè concederemus argumentum, quid verò in-
de? fluit ne? Imperium Germanicum non est pure Monar-
chicum. E. est Aristocraticum? nihil minus sanè, cum ea-
dem necessitate concludat ac si connecterem, nummus iste
non est argenteus, E. est coriaceus. Ipse Bodinus ambabus
concedit ulnis aliàs adhuc in quas degenerare possit su-
peresse Rerum pp. formas. Deinde fertilis pro argumen-
to ad manus est responsio, videlicet; cum Imperator vel
Rex jurat in leges Imperij, non jurat subditis, sed Impe-
rio ipsi vel Regno, cui benè & benignè præesse tacita quo-
que Regis importat obligatio, atque ita lege Regni (quæ
alijs dicitur & nunc recentioribus capitulatio) non ut
ratione aliqua, aut lege civili, sed ut conventionem qua-
dam